



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

S. Eberhardvs Ex Comitibvs Franconiae, Hessiae, Et Veteroviae
Provincialibvs Praepositvs Argentinensis, tertius Heremi incola, & primus
Abbas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



S. EBERHARDVS EX
COMITIBVS FRANCONIAE,
HESSIAE, ET VETEROVIAE PROVIN-
CIALIBVS PRAEPOSITVS ARGENTI-
nensis, tertius Heremi incola, &
primus Abbas.



VBI PRIMVM *cum magno apparatu*, vt ait idem
Hermannus Contractus, & diuino admonitu,
Angeloque ductore, & inductore, vt nostra ha-
bent monumenta, & testatur etiam Ioannes Tri-
themius ad Heremum EBERHARDVS aduectus est, am-
plis facultatibus, & haereditate opulentâ, statim ad noui, &
amplissimi monasterij, Basilicæque in honorem, & nomen
DEIPARÆ MATRIS, diuique Mauritij Legionis Thebaicæ prin-
cipis, & sociorum structuram, & conditionem animum ap-
plicauit.

plicauit. Locus, sicuti & tota solitudo Comitum Rapersvil-
lensium erat, illi percolendi licentiam, & vsus, vt diximus,
BENNONI fecerant, possessionem, & dominium non dimi-
serant. Quamobrem, vt quod agitabat exsequeretur liberi-
us, & præclarius, auctor EBERHARDVS fuit Hermanno
confanguineo, aut, vt alij credunt, fratri, cuius in Allemanniæ
Ducatu Rapersuillensis Comitatus erat, Heremum totam
pacto, aut precio ab Comitibus vindicaret, nouoque, quod
moliebatur, monasterio destinaret, facileque impetrauit.
Ita monasterij, & templi augustissimi, quo Deiparæ virginis
ab Meginrado primo conditum, & cultum, post ab Bennone
instauratum, manifesta que cælorum Regina præsentia cele-
bratum Sacellum inclusit, iacta fundamenta, magna ad hoc
eiusdem Hermanni ducis ope, & liberalitate. Tertius Heremi-
cultor erat Eberhardus vnde increbuit passim loco denomi-
natio, AD DIUÆ VIRGINIS Mariæ HEREMITARVM.
Quem morem secuti regum, & Imperatorum diplomatum
scriptores, & priuilegiorum, inseritis etiam plerumque primo-
rum fundatorum nominibus. Iis enim plerisque inscribitur
Monasterium IN SILVA, & MEGINRADI, aut MEGIN-
RADES CELLA, etiam ECCLESIA S. Mariæ IN CELLA
S. MEGINRADI, aut MONASTERIUM S. MEGINRADI
CELLA NVNCVPATVM. Item COENOBIVM SILVE-
STRE MEGINRADES CELLA VOCABVLO. Post EBER-
HARDI obitum etiam EBERHARDES CELLA. Postre-
mò MONASTERIUM HEREMITARVM THEVTONICE
EIN SIDLEN. Eodem anno, Henricus Cæsar Hungaros Sa-
xoniam ingredi ausos, specie repetendi tributi, ingenti cla-
de adfecit, tributum quod exigebant, per Ecclesias, & loca
pia diuisit. Sclauos eadem molientes subegit, & vectigales
reddidit. Othonem filium successorem destinavit, eiq; Ae-
duardi Anglorum regis filiam, Hetgidim collocavit, mox
etiam regni consortem fecit. Anno sequenti, successit Ioanni
Leo. VII. Anno nongentesimo tricesimo sexto Henricus for-
tis, & impiger Romanorum rex multis partis victorijs, regni
non modo conseruatis, sed etiam auctis terminis, vitæ cursum

A. D. X.

CCID.

XXXV.

A. D. N.

CCID.

XXXVI.

A. D. \mathcal{N}
CCL \mathcal{D} .
XXXVII.

gloriosè expleuit VI. Nonas Iul. Quinctilijburgi virginum à se condito monasterio sepultus. Proceres regni quem designarat Othonem filium, cum jam biennium cum patre rerum summæ præfuisset, imperare porro iussere. *Heinricus* frater Ducatum Saxonix, & post etiam Bauariæ obtinuit. Esse quoque desijt, & regnare *Rudolfus II.* rex Burgundiæ Nonis Septembris anni insequentis, & apud D. Mauritij Agauni sepultus. Reliquit ex *Berchtâ Burcardi II.* Allemanniæ ducis *F. Cunradum* regem cognomento ex moribus Pacificum, qui successit, *Rudolfum* ducem, *Burcardum* archiepiscopum Vefontionensem, & filiam sui æui feminarum præclarissimam *Adelheidim*, quæ, primo matrimonio, *Lothario* Italiæ regi juncta: post *Othoni* Imper. Cellæ S. *MEGINRADI*, vti videbimus, patronam se præstitit beniuolentissimam, & liberalissimam. At verò *Hungari*, cognita *Heinrici* morte, & principes regni intestinis agitari dissidijs, acceptas ab eo velut vlturi clades *Bauariam*, *Franconiam*, *Allemanniam* præda, ferro, igne per furorem crudelissimè vexârunt. *Rhenum* que traiecti *Elsatiam*, & *Lotharingiam*, *Belgicam* que, eadem vesaniâ, peruasent. Inde in *Italiam* delati, ingenti factâ cæde, strage, & vastitate, in *Pannoniam*, sanguine, & prædâ fatiati redierunt. Anno sequenti, ex *Hungarorû* vastitate, magna exorta rerum omnium inopia, grauique *Burgundia* minor præcipuè, & *Elsatia*, *Germaniæ* que superiora, annona adficiantur, multi que famis cruciatibus occidebant, alij ea rabie ferebantur, vt, cum omnia fæda, & insolita absumsissent, ne humana quoque carne abstinerent, quo maior sollicitudo *EBERHARDVM* tenuit, ne & sibi adiunctis aliquid deficeret, & simul vt ne vicinis grauis, & importunus per necessariorum flagitamenta haberetur, aut rursus immifericors, si quæ superabant, egentibus abnegasset. Sed, eadem tempestate, frustra se niti ratus, nisi, quod instituebat monasterij corpus, nobili iuuentâ, tamquam animâ vegetaret, firmaretque, magnum eximix indolis adolescentium numerum exciuit, eosque non solum imbuit antiquâ religione, & pietate, & D. *Benedicti P. N.* legibus, & institutis, quæ in per-

petuum

petuum isthic valere voluit, quando S. MEGINRADVS primus HEREMI cultor eiusdem ordinis fuisset, sed litteris quoque, & politionis doctrinæ ornamentis excoluit. Et principio pauci suâ sponte, & vitæ solitariæ cupiditate, mox tanti viri auctoritate, exemplo, & admonitu plures concessere, ætate quoque jam grandi, & annis maturâ, inter quos Thietlandus fuit Burcardi II. quondam Allemanniæ ducis, vt plerique tradiderunt, frater. Scio Contractum, & ephemerides antiquas notare eiusdem Thiethlandi aduentum septimo post anno. Sed non is fuit, verùm communicatæ cum eo Monasterij curæ, vti postea videbimus Ex hoc verò rectè Eberhardum primum incolam Cellæ Meginradi idem quoque Contractus vocauit, quatinus primus fuit, qui eam monachorum, & religiosorum cætu maximè celebrauit, qui que nobili, & pio sanctissimorum virorum collegio, multos per annos, dignitate Abbatis, quantumuis non inuncti, egregiè præfedit. Anno nongentesimo tricesimo nono, ciuile inter fratres exortum bellum. Henricus enim æmulus Imperij, instigantibus, & simul opes pollicentibus Eberhardo Palatino Rheni, Giselberto Lotharingiæ duce, adiunctis etiam Mediomatricum, & Argentinensium Episcopis, contra fratrem coniurauit. Sed Otho ex inopinato Eberhardo, & Giselberto, ductu Hermanni ducis Allemanniæ, & fratrum eius Cunradi, & Vdonis auxilijs, oppressis, & interfectis, castello etiam Brisfaco, in quo Palatini opes consistebant, dedito, breui omnia pacauit, recepto in gratiam fratre, Lotharingia quoque Gallos expulit. Anno nongentesimo quadragesimo, tandem BENNO, siue Benedictus, secundus Heremi cultor, & instaurator, vitâ solutus beatorum adauxit numerum III. Nonas Augusti. Illum Eberhardus ante Sacellum DEIPARÆ Virginis, quod S. Meginradus ædificarat, multis lacrimis sepeliuit. Quartus & tricesimus annus agebatur, quâ Heremum ingressus erat, omnes que ibidem pietatis exercitijs absunserat, duobus, quibus Episcopatu Mediomatricum præfuit, exceptis. Cuius stemmatis fuerit haut pro certo edixerim. Nostra scripta, & monumenta ex regum Burgundiæ posteriorum stirpe fuisse

*A. D. X.**CCLV.
XXXIX.**A. D. N.**CCLV.
XL.*

adfirmant. Claro, & nobili genere oriundum, ex eo clarum argumentum quod *Argentiniensis Ecclesia* fuerit *ordinarius*, siue Canonicus, vt nunc vocant, quæ dignitas, & ordo, ad nostra quoque tempora, solum illustribus familijs in illa Ecclesia patuit. Burgundiæ tres reges vidit Rudolphum I. qui regnum instaurauit, Rudolphum II. & Cunradum Pacificum. Eodem anno Regulinda cum Hermāno duce marito erga Heremitas munificentia certatura, vbi monasterij progressum, & Deo ibidem famulantium multitudinem percognouit, quo ad sumtum necessaria exstarent, Caltrun in Castris, & Stæfe, Lindouiumque pagi Tigurini vicos hæreditarios Eberhardo, cum omnibus ad eos pertinentibus, donauit, Sacellum pro se, & posteris in superiori Basilica ibidem ædificauit, in quo etiam postea sepeliri voluit, benignam se, & monasterio maximopere fauentem probauit. Sed & auctor filio Alarico fuit, vt, relicta eâ, quam jam multos annos incolerat, Vfnauigiæ insulâ, in monasterium nostrum se conferret: locum mutaret, non propositum, aut affectum, heremita heremitis se coniungeret. Atque is tunc materno vsus consilio, apud nostros deinde Custodis officium obiuit. Supplementum adunxit ex eiusdem suæ coniugis dote, & voluntate Hermannus, consignauitque Heremitis Gambs Comitatus Verdenbergenfis, Campsonem Rheti antiquo vocabulo dicunt, & Vtвуillariam, illum in Rhetia, hunc pagi Tigurini vicum. Leoni successit Stephanus VIII. dictus IX. Germanicæ nationis omnium primus. Sol sanguinem per aliquot dies manare visus. Anno nongentesimo quadragesimo primo, Henricus rursus, concitis nonnullis Saxonie proceribus, contra regem fratrem conspirauit. Coniuratione detectâ, ipse Ingelheim in custodiam traditur, coniurati capitis damnantur.

A. D. N.

CCIO.
XLI.

A. D. N.

CCIO.
XLII.

Anno sequenti, Rudberti Maguntiacensis Ecclesie diaconi ope custodia liberatus, Othoni Francofurti natalicia festa agitati, & ad sacra missarum officia antelucanò tendenti cum ad genua supplex accidisset, delicti, & rebellionis veniam secundo impetrauit. Otho, primo vere, in Lotharingiam duxit. Ibi cum Ludouico Gallie rege colloquio habito, pacem, &

amicitiam,

amicitiam, mox & adfinitatem contraxit, datâ Gerburgâ sorore in connubium, Gifelberti ducis viduâ. Anno nongentesimo quadragesimo tertio post Stephanum factus pontifex Martinus III. quem Marinum nonnulli vocant. Anno nongentesimo quinto & quadragesimo multis per ædificiorum, & totius conuentus necessitudines impedimentis, cum minus, quàm ab initio quæsierat, optaratque sibi, & vitæ solitaria, ab turbis remotæ, ac dissitæ vacare liberum foret, confortē, & adiutorē sibi Eberhardus Thietlandū sumsit, magnâ integritate, & prudentiâ virum, illiq; fabricæ, & ceterorum curâ commendauit; Ipse se ab negotijs ad rerum diuinarum contemplationem penitus insinuauit. Hinc est quòd, veluti omninò abdicasset, & dignitatem à se remouisset, Thietlandum *primum* nominat Contractus *abbatem*, cum tamen ex Othonis Imper. diplomatis satis constet, Eberhardum, quamdiu superfuit, abbatis munus, & honorem gessisse, nec, nisi defuncto, in nomen, officiumque integrum Thietlandum successisse. Anno nongentesimo quadragesimo sexto, prodiderant Franciæ quidam proceres Nordmannis Ludouicum regem, qui eum custodia incluserant. Eius rei indignitate, & maximè Gerburgæ sororis magnis, & crebris precibus, exercitum Otho in Galliam duxit. Sunt qui fuisse legiones viginti, alij ampliozem etiam numerum prodidere. Eo milite pleraque coniuratorum castella, opida, ciuitates, prouincias in potestatem redegit, Ludouicum libertati, regnoque, & forori reddidit, formidabilem perduellibus, exteris nationibus magnum se, & admirabilem præstitit. Placatâ Galliâ, in Germaniam, ineunte auctumno, reuertit, sub Octobris finem comitia Francofurti celebrauit. Ibi eum Hermanus dux conuenit, vtquè ab Eberhardo, & à se recens conditum in honorem DEIPARÆ MATRIS, diuique Mauritiij, et sociorum Heremitarum monasterium, in suam, & Imperij protectionem perpetuam susciperet, potestatem monachis legendi abbatem inter se, post Eberhardi obitum, quemcunque vellent, faceret, ab omni iurisdictione externâ, ipsum monasterium, et ei adnexos vindicaret, eximeretque: Illa ab-

A. D. N.

CCLD.
XLIII.

A. D. N.

CCLD.
XLV.

A. D. N.

CCLD.
XLVI.

batum,

batum, et Conuentus libera, et aeterna essent, postremo ipsidem priuilegijs, et immunitatibus, quibus alia fruuntur, vtuntur monasteria auget, et illustraret, precibus contendit, et meritorum suorum respectu, simul loci, Heremitarumque religione, et reuerentiâ haut difficulter obtinuit. Diplomatiss exemplum infra posui.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuina auxiliante Clementia, Rex. Nouerit omnium fidelium nostrorum presentium scilicet, & futurorum solertia. Qualiter Hermannus Dux deprecatus est nostram clementiam, quatenus pro Dei amore, loco, qui vocatur Mehinratescella, ei à quibusdam suis fidelibus in proprietatem tradito, ubi dominus Eberhardus Heremita, Ecclesiam in honore sanctæ Mariae, & sancti Mauritiij, ceterorumque Sanctorum DEI, ipsiusque adiutorio, à fundamentis edificauit, & cetera adificia monachis ad habitandum construxit, quem & modo ille nobiliter regit, & monachis præst, DEO ibi sub regulari disciplina militantibus, priuilegium nostræ auctoritatis, atque immunitatem, quam & ceteris monasterijs concessam habemus: electionemque concederemus. Cuius petitionem benigne suscipientes ob amorem Domini nostri IESU CHRISTI nostraque mercedis augmentum, iussimus hoc auctoritatis, atque immunitatis priuilegium conscribi, Per quod volumus, firmiterque iubemus, vt, post obitum venerabilis præfati Abbatis Eberhardi, monachi eius, qui superuixerint, monachicamque vitam, DEO auctore, in præfatâ Cellâ obseruauerint, ac illorum successores, a modo, & deinceps firmissimâ teneant potestatem eligendi quemcumque inter eos Abbatem voluerint, Et vt nullus ex iudiciaria potestate constitutus aliquâ super eos exerceat potestatem, vel super eorum causas, seu super familias intus, vel foris concessas: sed eiusdem Cellula Abbas potestatiue cum suis monachis ad illorum necessarios usus firmiter possideat absque ullius contradictione: Et sub nostrâ defensione, & immunitatis tuitione res illorum perpetualiter permaneant, ad illorum, vt supra diximus, necessarios usus. Et vt hæc auctoritas

huius

huius immunitatis, ac confirmationis nostra firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, & diligentius obseruetur, manu propria subter eam confirmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus.

Signum domini Ottonis inuictissimi Regis.

Brun Cancellarius ad vicem Friderici archicapellani recognouit. Data VI. Kalen. Nouemb. Anno Domini incarnationis DCCCXLVI. Indictione IIII. Regnante domino Rege Ottone, Anno XII. Actum Franconesfurt. In DEI nomine feliciter. Amen.

Qui post secutus est annus, principio Othoni flebilis fuit Hetgidis Reginae excessu. Eam magno suo, & omnium prouincialium luctu Magdeburgi à se condita ciuitate nobili monumento composuit VII. Kal. Februarij, vitæ sanctitate adeò præstantem, vt miraculis post obitum claruisse testetur Ditmarus eius temporis scriptor illustris. Habuit ex eâ Luitolfum, cui haut multò post admodum adolescenti, tamquam mœroris lenimento, Itam Hermanni ducis filiam, frequenti procerum conuentu, & celebritate coniunxit. Eundem Hermannus, patris permisso, & auctoritate adoptauit hæredem, & successorem destinauit. Genuit & Luitgardam vnicam filiam Cunradi Ducis cõiugem. Erat Hetgidis Aeduardo Anglorum rege genita, Edmundi tunc regnantis (Adelftano is fratri successerat) & Gregorij, qui in Heremo nostrâ Principatum, vti videbimus, tenuit, soror. Eodem prope tempore obiit Berchtoldus Bauariæ dux. Otho quo sibi magis deuinciret, omnesque mouendi occasiones tandem præcideret eundem Ducatum Heinrico fratri donauit. Is tali, & tanto beneficio, gratum se, & obsequentem deinceps ad extremum vitæ præstitit. Martino successit Agapetus II. Sed haut minor supra memorati Luitolfi erga Heremitarum monasterium fauor, & obseruantia, quam parentis in priuilegiorum largitione gratia, & benignitas fuerat. Itaque anno nongentesimo quadragesimo octauo, veluti priuilegia honori, & or-

namento,

A. D. X.

CCLD.
XLVII.

A. D. X.

CCLD.
XLVIII.

namento, ceterum in rem, & commodum haut æquè proficerent, ab Othone patre impetrauit, adsumto in petitionis societatem Hermanno focero, quæ in eiusdem Hermanni Comitatu Verdenbergenfi, vico Quadrauedis, Grabs nunc vocant, Regij iuris essent, eorum omnium donum, & gratiam Heremitis faceret, perpetuumque esse Monasterij iuberet, eâ ratione, non modo illorum necessitudinem subleuaret, sed singulari se fauore adficeret. Otho vtriusque & Luitolfi filij charissimi, & Hermanni Ducis fidelissimi preces haut aspernatus, eorum super flagitatione, & sollicitatu has Diplomatibus literas edidit.

IN Nomine Sanctæ, & indiuidua Trinitatis. Otto, Diuina auxiliante Clementia, Rex. Nouerit omnium fidelium nostrorum presentium, atque futurorum sagacitas. Qualiter nos pro remedio animæ nostræ, & æternâ remuneratione, admonitione, ac suggestione filij nostri Luitolfi, ac Herimanni Ducis, quasdam res iuris nostri in Comitatu eiusdem Ducis Herimanni Rhetiâ, in villâ Quadrauedes nominatâ, Sanctæ DEI genitrici MARIE, & Sancto Mauritio martyri, ac ceteris Sanctis, quorum iuge obsequium in Silua, & in loco Meginrates cella, ab EBERHARDO heremita, cum ceteris fratribus, in eodem loco, monastica religione celebratur, perpetualiter in proprium concessimus: Id est, Ecclesiam nostram, cû decimis suis, & vniuersis pertinentijs illuc legaliter aspicientibus: Nec non & terram Dominicam, cum omnibus in prefata villa ad nostram Regalem potentiam pertinentibus: Id est, curtilibus, adificijs, censibus, terris, agris, pascuis, siluis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, piscationibus, vijs, & inuis, mobilibus, & immobilibus, & in omni seruitio. Insuper quoque inde hoc præsens præceptum conscribi, per quod volumus, firmiterque iubemus, quatenus memoratus DEI famulus EBERHARDVS, & ceteri fratres, ac successores eorum, nunc, & deinceps in ipso loco militantes, stipendia illorum ibi melioranda de supra dictis nostræ largitionis rebus, ac

locis,

locis liberam, & æternaliter obtineat potestatem, manu propria nostra firmatum, annuloque nostro sigillatum.

Signum Domini Ottonis invictissimi Regis.

Brun cancellarius ad vicem Friderici recognovit. Data IX. Kalen. Februarij, Anno Dominice Incarnationis DCCCCXLVIII. Regnante Serenissimo Rege Ottone, Anno XIII. Actum Franconesfurt. In Domino feliciter. Amen.

Mense Junio sequenti, celebrata Synodus Engelheimensis sollicitatu Agapeti pontificis propter dissensiones ortas inter Hugonem Franciæ ducem, & Ludouicum regem, interq; Artaldum Rhemensem Episcopum, & Hugonem illicitè substitutum eius vrbs præfulem. In eâ inter plures Germaniæ Episcopos interfuit Cunradus Constantiensis Episcopus.

Sed iam reliqua ad vsum ædificia, templumque monasterio, pro loco, & facultatibus amplissimum, quo ab S. Meginrado structum DEIPARÆ Sacellum insigni mole circumdederat, incluseratque, curâ irremissâ, & impensâ, operarumq; assiduis laboribus promorat eo Eberhardus, vt consecrari possent. Itaq; in eunte Septembri, paratis omnibus ad eam rem necessarijs, ad Cunradum Constantiã misit, quando eius Episcopatus terminis monasteriũ, templumq; & Sacellum confisterent, eorum ad consecrationem venire ne grauaretur. Inuitatus etiam antiquam ob necessitudinem, & amicitiam, moremque ab Apostolicis temporibus receptum, Vldaricus Augustæ Vindelicorum Episcopus. Vtrumque comitati plures primæ nobilitatis totius prope Germaniæ superioris viri, magnus concursus vicinitatis factus, tantorum virorum reuerentiã, simul & loci, cuius religionem, & celebritatem, iam latè sparserat fama, inuisendi, colendique desiderio pertrahebantur. Haut paucos EBERHARDI, & monachorum inibi agitantium sanctitatis opinio, alios etiam propinquitas sanguinis attraxerat. Adpulit ad Heremum Cunradus Idibus eiusdem mensis, nouoque in monasterio diuertit. Nocte, quæ secuta est, cum, solito more, circa eius medium

orationis causâ surrexisset, melodiam longè suauissimam auribus excepit, cumque magis, magisque animum, mentemque intenderet, certissimo animaduertit, angelos cantum eundem, & ordinem, ceremoniasque in Sacelli DEIPARÆ, cuius causâ aderat, consecratione habere, quæ, dedicationibus Ecclesiarum, Episcopis vsurpentur. Audire eadem, & percognouere haut pauci monachi, alijque nonnulli, quos precum, & meditationum studium idem tempus intentos, & vigiles attinuerat. Ipse Cunradus ceremonias, his verbis, libro quem de Secretis secretorum inscripsit, posteritati prodidit, quæ inferere operæ precium putauit, rei miraculo, simul tanti viri fide, & quia illa sola ex eo volumine facti raritas, an potius DEI benignitas conseruauit, & posteris testimonium dicere voluit. *Descendit, inquit, Dominus de calis, casulâ violaceâ ante altare ad sacrum officium celebrandum, cui quatuor Euangelista infulam capiti eius imponentes, & more consueto, deponentes. Angeli aurea thuribula deferebant, alis suis, vt ramis arborum, stabant. Iuxta Dominum S. Gregorius flabellum in manu tenens, S. Petrus in manu tenens baculû pastoralem: Sanctus vero Augustinus, & Ambrosius stabant ante Dominum. MARIA Virgo ante altare stabat splendida, sicuti fulgur. Sanctus Michael præcantor erat. Sanctus Stephanus legit Epistolam, Beatus Laurentius Euangelium. Sanctus cantabatur sic. Sanctus DEVS in aulâ gloriosa virginis miserere nobis. Benedictus Maria filius in aternû regnaturus qui venit. Agnus Dei sic. Agnus DEI miserere viuorû in te credentiû, miserere nobis. Agnus DEI miserere mortuorû in te pie quiescentium, miserere nobis. Agnus DEVS da pacem viuis, & defunctis in te pie regnantibus. Dominus vobiscum. Respondebant angeli. Qui sedet super Cherubin, & intuetur abyssos. Hactenus D. Cunradus supra memorato libro, de ijs, quæ, eâdem nocte, cognouit. Verum, cæptâ luce, quam Exaltationis S. Crucis memoriâ, & honore illustrauit, Ecclesia ea in feriam V. inciderat, anno bissextili, paratis ad manû necessarijs, magnâ attentione, omnibus Cunradum præstolâtib; ipse solus cunctari, morasq; neçtere, neque interea Sacello pedem*

efferre,

efferre, ibidem fixus, immobilis, attonitus inhære, & obstupifcere, donec ad meridiem iam tempus vergeret. Tum verò omnes vrgere, sollicitareque qui aderant antistites, solennitatem tandem, & officia inchoaret, promoueretq; & cessandi finem faceret, neq; vltra tantum mortalium conuentū distineret. Ille adhuc causas obtēdere, an aliud signum expectare. Deniq; quid audisset, quid perspectum haberet, paucis ostēdit. Ibi verò tum omnes veluti vana, & tamquā cælestium ex meditatione nata somnia memorātem reprehendere, objur-gare, postremo ad sacrorum ministerium, & consecrationis opus, illis posthabitis, impellere, & cogere, donec cūctis, re inopinātā, percussis, & exhorrescentibus, cælestem delapsam vocē CESSA, CESSA, FRATER, DIVINITVS CAPELLA CONSECRATA EST, ter omnes audierunt. Ex eo certa fides, & Cunradum vera cognouisse, & Sacellum DEIPARÆ cælitus dictum, & consecratum esse, nemo postea dubitauit. Quæ tum tantorum viro-rum præsentia, & testimonio comperta, & merito credita, crebriora inde, & huc vsque confirmarunt miracula. Igitur Cunradus, Sacello, vbi initium consecrationis facere instituerat, egressus, comitantibus, qui præ-sentes erant, & DEVM, DEI QVE Genitricem magnificentibus, basilicam porro Sacello circumiectam, solitis ceremonijs, in nomen, & titulum Sancti Mauritij, et sociorum, ita EBERHARDO postulante, consecrauit, dedicauit. Mox ad sua quisque alius alio reuersi rei gestæ notitiam longè, lateque diffudere. Angelicæ consecrationis meminit etiam Hermannus Contractus hoc anno. *Capella, in Canobio S. MEGINRADI calitus consecrata est. xviii. Kalen. Octobris.* Itemque Martinus pœnitentiarius qui ante annos trecentos scripsit, vbi Othonis I. Imperium memorat. *Eodem tempore, inquit, Capella S. MEGINRADI in prædicto Canobio Heremitarum Constantiensis Diœcesis calitus est consecrata xviii. Kalen. Octobris, sancto Cunrado Constantiensi Episcopo hoc testante.* Cuius testimonium postea Romani Pontifices, suâ quoq; auctoritate, et Bullis, sæpius hæctenus, vti suis locis videbimus, adprobauere.

Verùm enim uero, ut huius anni prima, mediâque Heremitarum monasterio utilia, gloriosa, & ad mirabilia euenerunt, ita postrema, exemplo rerum humanarum, quæ instabiles, dubiæ, promiscuæ, tristia, & moesta fuere, Hermanni Allemanniæ ducis insignis patroni, & magnam partem fundatoris morte. Nam & fundum ipse primus in quo monasterium situm, totamque ei subiectam heremum ab Comitibus Raperfuillanis redemit, & propinquo, siue fratri EBERHARDO in monasterij ædificium, & usum donauit, Gambsonem, Vtuillariamque quæ ex suâ, quæ uxoris proprietate, eodem contulit, multa præterea, dum vixit, beneficia nostris exhibuit. Excessit vitâ 1 v. Idus Decembris, cum Allemanniæ annos xxii. præfuisset. Otho Cæsar Luitolfo filio Ducatum commisit, quem generum, mox & heredem, uti supra retulimus, Hermannus dilegerat. De Hermanno præclarum apud Contractum testimonium, hoc anno eodem. *Hermannus, inquit, dux Allemanniæ, qui prouinciæ sibi credita cultum, habitum, mores, & instituta, multum, ut fertur, honestauerat, defunctus, Augiaq; in Capella S. Kiliani sepultus est, & Luitolphus filius regis Othonis, vir omnium sui temporis uniuerso populo acceptissimus, dux pro eo à patre constitutus est.* At Regulinda duobus maritis Allemanniæ Ducibus orbata, tertio sponso se subito adunxit, sed puro, immaculato, immortalis. Abiectâ enim rerum omnium secularium curâ, & pompâ, in eandem, quam reliquerat, filius Alaricus infulam Vfnauigiam se extemplo cum paucis contulit, ibique quidquid vitæ reliquum fuit Christo Domino seruiuit, & quo commodius, ac relligiosius posset, sacellum primò Diui Martini Episcopi titulo, in suum maximè usum, & secessum, extruxit: post etiam ædem maiorem in conuicinorum, & subditorum utilitatem, & bonum ædificare incepit. Anno nongentesimo, quadragesimo nono, celebrauit dies natalitios Francoforti Otho, ubi cum ad eum, & quæ apud Heremum gesta paullo antè erant, perlatum esset, & simul Adamum nobilem Rhetum, non multo prius, publico Iudicio maiestatis condemnatum, eò perfugisse, mutataque in melius vitâ, Mona-

chum in-

A. D. N.

CCLD.

XLIX.

chum induisse, magnaque ibidem innocentia, & pietate agitare, his tantis, & tam insolitis rebus permotus, non modo majori adfectu cepit Heremitas nostros amplecti, sed loci quoque, & ordinis veneratione Adamo vitæ, & sententiæ gratiâ fecit, bona, & possessiones, valle Drufiana, vulgò Valgeuu, in Rhetiâ, sitas, aliâque, quæ Iudicum decreto in fiscum redacta erant, eidem restituit. Illa ab eo deinceps Adamo ad Monasterium peruenere. Diploma huius rei datum Francofurti Kal. Ianuarij felici incuntis anni auspicio. Eius exemplar infra scriptum est.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, Diuina auxiliante Clementiâ, Rex. Nouerit omnium fidelium nostrorum presentium, quam etiam futurorum sagacitas, Qualiter nos, pro remedio animæ nostræ, veletiam dilectissimæ coniugis nostræ beatæ memoriæ Etgidis, quasdam res proprietatis nostræ, iudicio Scabineorum, pro cuiusdam viri commissu, nomine Adam, modo vero DEI famuli, nostræ regalitati iure fiscatas, denuo eidem in proprium concessimus, legem etiam, vitamque suam, pro æterna remunerationis præmio perdonauimus, resque proprietatis, quas præfato Ada in proprium tradidimus, in his locis nominatis sita sunt, Senouio, in Sline, in Meilo, in Nejudra, in Cise, in valle Trufiana. Illud vero prædium quod inibi iam pridem habuit, atque possedit, hoc nostræ auctoritatis præcepto cum omnibus appendicijs, & adiacentijs suis, iuste, legitimeque illuc ad præscripti Adæ prædium pertinentibus iure perenni in proprietatem relaxauimus, manu nostrâ firmato, annulique nostri impressione insignito.

Signum Domini Ottonis invictissimi Regis.

Brun cancellarius ad vicem Friderici Archicapellani recognouit. Data Kal. Ian. Anno Domini DCCCCX LVIII. Indictione VI. Regnante Serenissimo Rege Ottone Anno XIII. Acta Franconesfurt. In Domino feliciter. Amen.

Sed huius temporis prospera GREGORII Egmundi, vt diximus, Angliæ regis fratris, & Othonis Cæsaris ob Egidium defunctam coniugem adfinis, in Heremum aduentus cumulauit. Alia monumenta, & scripta manu eiusdem Othonis ex sorore nepotem fuisse tradunt. Sed propius verum fuisse Egidis fratrem Aeduardo natum. Anglum fuisse omnes consentiunt, præcipuæ quoque stirpis, & familiæ auctor, & testis Contractus, qui *nobilissimum* vocat, & hunc eius in Heremum accessus annum cum curâ notat. Ita enim scribit, *Anno nongentesimo quadragesimo nono Gregorius sanctus pater, ac nobilissimus venit.* At is primo voti causâ profectus Romam, cum apud Cælium montem aliquamdiu hæssisset, solitudinem meditans, & captans locum, vbi curis mundanarum rerum liberatus DEO, cui se totum vouerat, regiæ splendore stirpis, & dignitatis abiecto, & præ cælestium amoribus contempto, soli, vni que tradere se, & toti adhærere posset, inde porro versus Germaniam iter incæpit, in Angliam deniq; rediturus. Illo in itinere, quæ in Heremo, anno præcedenti, acciderant, simul loci ingenium, Eberhardi disciplinam, & sanctitudini coniunctam claritatem, & cetera, quæ cupiebat, angelo reuelante, percognouit. Eo igitur recta animum, viamque direxit, duce, & comite quodam, quem haut dubiè Numen, & eadem religio obtulerat. Vtrumque Eberhardus summâ humanitate tum amplexus, Gregorium postea ob singularem integritatem, & eruditionem inter primos habuit, cuius præiudicium, & auctoritatem reliqui deinceps tanti fecerunt, vt, vnanimi suffragio, vt videbimus, omnibus imperare, & præesse iusserint. Notauit etiam in ellogio S. Eberhardi idem Trithemius. *Habuit, inquit, secum EBERHARDVS Gregorium quemdam presbyterum Regis Angliæ filium, virum magna sanctitatis, eiusdem conuersationis, & habitus, quem etiam, diuinâ vocatione, illuc nouimus aduenisse.* Quod de diuinâ vocatione adserit, meminerunt etiam vetera nostra monumenta, & cum Gregorius in Cælio monte Romæ agigaret, tertio totidem noctibus cælitus admonitum, vt inde Heremum Nigræ filuæ concederet, manifesto testantur.

testantur. Paruisse, & supremam inibi postremo dignitatem obtinuisse. Eodem anno, Hungari in Italiam penetrarunt, prædâs vndiq; multas egerunt, nec nisi pecuniæ ingenti summâ excessuros jurarunt. Eam pecuniam quam penderet Berengarius, qui cum Lothario Hugonis filio regnum Italiæ, æquali prope iure, partiuerat, pari crudelitate extorsit, neque Ecclesias, neque pauperum necessitates excepit, cuius rei indignatione, & dolore ita Lotharium adfectû ferunt, vt phrenesi correptus, anno exeunte, vitâ defecerit, relicta Adelheidæ coniuge, Rudolphi II. regis Burgundiæ filia, Cunradi tum regnantis sorore, cui, dotis nomine, Ticinum, cum eius Comitatu testamento legauerat. Sed, Lothario mortuo, statim totius Italiæ regnum animo hausit Berengarius, cuius compotem haut se satis ratus, nisi antiquam eius teneret regiam, anno sequenti, Adelheidim filio Adelberto sponsam poposcit, cum illa abnuisset, quod per beniuolentiam non potuit, vi occupauit, reginamque, capto, & in potestatem redacto Ticino, in arcem Canulinam profligauit, se Augustum, filium Cæsarem nominauit. Adelheidis Othonis regis auxilium, & arma contra flagitauit, sui coniugij, & Italici regni spes, & opes ostentauit. Et ipse non iam eius modo, sed omnium prope Italiæ principum, & Agapeti præcipuè Pontificis continuis precibus sollicitatus, qui Berengarij tyrannidem Italiæ dignitatis, Romaniq; Imperij indignam ferre ultra non poterant, maximo exercitu, anno nongentesimo, quinquagesimo primo, Italiam, Tridentino saltu, ingressus, breui magnam eius partem subiugauit, Adelheidim custodiâ exemit, pacatisque penè turbis, cum eâ magnâ postea Heremitarum faultrice, & patronâ, Ticini nuptias celebrauit, incunte anno sequenti. Inde primo vere, relicto, qui Berengarium, & belli reliquias persequeretur in Italia Cunrado genero, cum parte maximâ copiarum in Burgundiam per Peninum (nunc Majorem S. Bernardi montem vocant) Adelheidis petitione, quæ Berchtâ matrem, & Cunradum fratrem inuisere in Burgundia cupiebat, transijt. Superato Penino, Agaunum cum peruenissent, Vldaricus Augustanus Episcopus, qui in co-

*A. D. N.**CCID.**L.**A. D. N.**CCID.**LL.**A. D. N.**CCID.**LII.*

mitatu Cæsaris erat, à Præposito monasterij S. Mauritij auctoritate, & licentiâ Manfredi Sedunensis Episcopi brachium S. Mauritij, & alias eius Sacræ legionis reliquias impetrauit, quas eiusdem Diui nouæ apud Heremitas, quos vnice colebat, basilicæ offerret, & suæ perpetuum obseruantia monumentum poneret. Brachium id argento inclusum, & lapillis preciosis ornatum opere penè rudi, sed sanctissimi martyris cultu, & tanti Episcopi dono, antiquitate quoque admodum venerandum, cum admiratione nunc quoque, & reuerentiâ ostenditur. Ex Burgundiâ Otho cum coniuge in Allemanniam, & Augustam Vindelicorum peruenit. Illic conuentum frequentem Germaniæ principum, & Italarum, causâ belli Hungarici, agitauit. Eo quoque adductus cum Adelberto filio Berengarius, vincētis manibus, se ad Cæsaris pedes projecit, gratiamque, quam petebat, non modo obtinuit, sed Italiæ etiam suo nomine administrationem. Sed beneficij mox, veniæque immemor, atque ingratus, aut acceptam cladem Italicis primoribus imputando, multò atrocius grassari, & aduersus omnes sæuire cepit. Durante conuentu Augustano, dux Luitolfus Heremitarum fautor, & curator præcipuus Cæsarem patrem accessit, vtque vicum Lielach sui Comitatus Brisiacensis, qui vicus Guntrami Comitatis fuerat, & publicâ provinciæ sententiâ fisco adiudicatus erat, Sacello DEIPARÆ MATRIS consecraret, daretque deprecatus est. Cæsarin eius gratiam, & petitionem hoc rescripsit.

IN Nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otto, DEI fauente Clementiâ, Rex. Nouerint omnes fideles nostri presentes scilicet, & futuri, Qualiter nos per interuentum dilecti filij nostri Lutolfi, animæque nostræ remedio concedimus, atque offerimus Ecclesiæ Sanctæ DEI genitricis MARIE, quæ constructa est in loco, qui dicitur Meginrates Cella, & ibi DEO seruientibus Heremitis, quemdam locum Lielach nominatum, qui nobis de rebus Gundrammi, populari iudicio, in Regiam, rectamque venit vestituram, cum omnibus utensilijs ad eundem prædictum locum pertinentibus, mobilibus, & immobilibus, quasitis,

quæsitis, & inquirendis, agris, pratis, vinetis, & mancipiis. Eâ videlicet ratione, Quatenus serui DEI in loco prælibato conuersantes, iam prædictum prædium, quod constat esse in pago Brisachgouue, in Comitatu filij nostri Lutolfi, per succedentia temporum curricula, secure, & quiete fruantur, omnium hominum contradictione remotâ. Et vt hoc nostre auctoritatis præceptum firmum, inconuulsūq; permaneat, manu propriâ roborantes annuli nostri impressione subter iussimus sigillari.

Signum domini Ottonis invictissimi Regis.

Hugbert Cancellarius ad vicem Brunonis archicappellani recognouit. Data V. Idus August. Anno vero Dominica incarnationis DCCCCLII. Indictione X. Anno vero Regni Ottonis Regis XVII. Actum in Augustburg.

Circa hæc ferme tempora obiit Vfnauigiâ in Insulâ Ducifsa Regulinda cum prope quinquennium in eâ omnibus pietatis, & sanctimonix officijs, & exercitijs peregisset. Quidquid Feficone, Stefæ, Volruuiæ possederat, Adalrico, filio & hinc nostro monasterio testamêto reliquit. Eberhardus abbas, & Adalricus inde, quatenus nondum, quam extruere cæperat, Ecclesia consecrata erat, in monasterium nostrum transportandam curauerunt, proprioque Sacello condidere, non sine magnâ sanctitatis opinione. Haut multo postea, relicto Custodis officio, ad eandem insulam Adalricus redijt, siue vt materna ædificia commodius absolueret, aut, quod magis crediderim, solitudinis maioris desiderio, & amore.

Anno nongentesimo quinquagesimo tertio, orta inter patrem, filiumq; varijs de causis, controuersia in bellum erupit, magno totius regni per partes dissidio. Accessit præcipuus belli incensor, & Cæsaris inimicus Cunradus dux Franconiæ, qui non contentus Germaniam pene vniuersam ad rebellionem conuertisse, Hungaros quoque ad arma vocauit, qui Noricum, Bauariam, Allemanniam, Galliæ quoque magnam partem populati, per Italiam triumphabundi in Pannoniam regressi sunt. Cæsar perduelles primo Maguntiaci, post Re-

ginobur-

A.D.N.
CCLD.
LIII.

*A. D. N.**CCLD.**LIV.**A. D. N.**CCID.**LV.**A. D. N.**CCID.**LVI.*

ginoburgi frustra obsedit. Primo vere, anni insequentis praeualefcente contentione, vtrique ad Hilarum flumen decertanturi confedere. Interuenientibus postremo sanctissimis antistitibus Vldarico Augustano, & Hardberto Curiensi, pax facta, veniamque ab optimo, & indulgentissimo patre, quem haut tam suis, quam turbidis Cunradi consilij eò progressum non ignorabat, Luitolphus impetrauit: Cunrado quoque vita, & quo eam toleraret, praediolum relictum. Sed Hungari, anno nongentesimo, quinquagesimo quinto, tantis, quantis antea numquam se copijs effudere, eo vecordia, & fiducia acti, vt, nisi terra hauriret, aut obrueret caelum, superari se non posse jactitarent. Bauariam populati apud Augustam Vindelicorum castra posuere, suburbana incenderunt, excidium vrbis, nisi deditioem maturarent, & totius Germaniae extremam ruinam comminati. Otho, coacto exercitu, sed diuino magis auxilio, & Vldarici Episcopi virtute, & meritis fretus, in hostem furibundum impetum fecit, inauditaque strage cumulauit, copias innumerabiles occisione occidit, Augustae, & toti Imperio salutem, & incolumitatem restituit, incomparabili fortitudine, & felicitate. Imperator ab vniuerso exercitu, & pater patriae salutatus vi. Idus Augusti. Desideratus tamen Dux Cunradus Caesaris gener, pari prope fortitudinis, & pietatis fama. Victoriae tantae communem laetitiam auxit, & ad cumulauit natus, anno sequenti, ex Adelheide filius, quem ex suo nomine pater Othonem vocauit. Successerat, eodem pene tempore, Agapeto Ioannes xii. Is continuo ad Caesarem literas, & adhortamenta misit, laboranti Ecclesiae, & Italiae, clarissimorum Imperatorum exemplo, quos tot iam victorijs prope aequabat, vltor, & vindex adesset, Imperijque coronam, suis meritis, & rebus fortiter gestis redderet gloriofioem. Sed is, quia res Germaniae haut dum satis in quieto erant, Luitolphum filium misit, qui multa prospere, & insigni fortitudine gessit, plures Vrbes, & castra, incredibili celeritate cepit, & postremo Ticinum regiam occupauit, Berengarium in montes, & abstrusa repulit. Mox cum filio eius Adelberto congressus cum quoque acie vicit, & quidquid im-

perio de-

perio deerat, recepit, pacem, & Italiæ trāquillitatem restitutus, nisi VIII. Idus Septembris, anno nongentesimo septimo & quinquagesimo, aëris intolerantiâ, aut dolo, immaturo obitu, Bobiensi monasterio discessisset, ingenti patris, & omnium subditorum luctu, & desiderio, præcipue Heremitarum, quorum tutor, patronus, & aduocatus fidissimus, & liberalissimus fuerat. Corpus eius ex Italiâ Maguntiacum relatum Gulielmus Archiepiscopus frater apud S. Albanum sepeliuit. Reliquit filium vnicum Othonem puerum triennem. Cæsar Allemanniæ Ducatum dedit Burcardo III. Burcardi II, & Regulindæ filio, Itæ Luitolphi viduæ fratri vterino, Adelheidis reginæ auunculo. Luitolphi mors inopinata non modo victorias contra hostem habitas deformauit, sed Berengarij animum magis extulit. Annum sequentem quoque Eberhardi monasterij auctoris, & præsidis primi mors, & exitus apud nostros insigniuit. Obijt XI. Kal. Septembris, aut, vt aliæ parentales tabulæ habent, XI. Kal. eiusdem mensis, magnâ sanctitudinis apud omnes opinione, cum haut multo ante vitæ finem sibi imminere Vldarico Augustensi Episcopo prædixisset, qui quot annis ad eum visere, & religionis causâ Heremum adire solitabat, vt testantur antiqua nostra monumenta. Sepultus est ante Sacellum DEIPARÆ prope Bennonem. Eius, hoc anno, ita Contractus meminit: *EBERHARDVS Argentinensis Præpositus cum magno apparatu in Cellam Sancti MEGINRADI veniens, ibiq; regularem vitam instituens post eius introitum XXV. anno migravit ad Dominum.* De eiusdem origine, & stemmate non eadem prodidere. Alia monumetra Bennonis fuisse propinquum narrant, alia ducis Hermannii. Vtrumque fieri potuit. Ex Hermannii tamen stirpe facile adducor vt credam exitisse. Insigni profectò profapiâ oriundum, manifestum ab Othonibus Imp. argumentum, qui ILLVSTREM suis Diplomatis vocant, titulo, per ea tempora, & postea, fermè ad Rudolfum I. Habsburgiensem, non nisi Ducum, & Principum, stirpisque regiæ posterum. Sed de postremo S. EBERHARDI, & S. Vldarici conuentu, & colloquio, operæ est precium Bernonis ab-

A. D. N.

CCID.
LVII.

A. D. X.

CCID.
LVIII.

batis testi-

batis testimonium inferere. Solebat. inquit, S. Uldaricus loca sancta visitare, ac precipue monasterium S. Galli, ubi nutritus erat, & eruditus. Inde cum quodam tempore ad Cellam S. Meginradi ad videndum seruum DEI Euerhardum venisset, post sacra orationum libamina, post fraterna collationis dulcia colloquia, cum iam, praelibatis osculis, sanctus Episcopus disposuisset redire in sua, & ea vice, speraret DEI famulum non amplius esse visurum, iamque ire cepisset, festinato anhelus cucurrit, atque iterans oscula caritatis in hanc vocem lachrymabundus erupit, *EX HAC NON VIDEBIMVS NOS ULTERIVS IN HAC VITA, DONEC CORPORIBVS EXEMPTI, VIDERE NOS MEREAMVR IN PRÆSENTIA DEI.* Cui Episcopus dixit. Pater venerande, scis nunc pro certo tempus meæ resolutionis instare, quo debeam ex hac vitâ migrare? Cui ille respondit: *Finis quidem vita tua adhuc non erit: Sed verum esse quod dico exitus rei comprobabit.* Tunc discessum est. Sed antequam Episcopus eamdem Cellam iterum visitaret, ille DEI famulus Euerhardus de hoc seculo migravit. Huc usque Berono vitâ S. Uldarici. Non intermiserim quæ item abbas Trithemius libro III. de viris Illustribus nostri ordinis, & de Eberhardo, & hac cum S. Uldarico familiaritate, memoravit. Eberhardus, inquit, monachus, & solitarius apud Cellam S. Meginradi martyris in Siluâ, quæ dicitur Umbrosa, nunc ad Heremitas, vir sancta conuersationis, & B. Uldarici supra dicti antistitis familiaris amicus: cum esset Decanus Argentinenensis, diuinâ vocatione, & reuelatione ad conuersionem in prædicto loco venit, ubi multâ religione, & sanctitate enituit, mortemque longe ante præsciens suam, B. Uldarico lacrymanti prædixit. Ceterum, exsequijs Eberhardi rite peractis, qui aderant in Heremo monachi, ex Otthonis I. Cæsar. privilegio, sententijs exquisitis, Thietlandum, qui iam annum quartum & decimum coadjutore fungebatur, Abbatem II. nominauere.

THIET.